

DE RELIGIOSIS

DE INSTITUTIS SAECULARIBUS: DOCTRINA ET PRAXIS

SUMMARIUM: Institutum vel Instituta saecularia. II. Positio iuridica Institutorum saecularium. III. Sequelae iuridicae conceptus generalis Institutorum: A) Ius quo reguntur Institutum saecularia; B) Positio hierarchica Institutorum saecularium est perfecte autonoma. IV. Elementa substantialia et discriminativa Institutorum saecularium. V. Normae ad erectionem et approbationem. VI. Interna regiminis organizatio et relatio ad ecclesiasticas auctoritates. VII. Irretroactivitas legis peculiariis Institutorum saecularium.

Constitutio Apostolica *Provida Mater Ecclesia*, quae ad Instituta Saecularia constituenda et ordinanda fuit condita, hiusmodi Institutis Statutum generale simile illi constituit quod in Codice iuris canonici (tit. XVII) pro Societatibus vitae communis prostet. Statutum pro Institutis saecularibus in Const. *Provida Mater* contentum, quin Codicem iuris canonici tangat, pro quo Instituta Saecularia essent Associationes laicales, simile quid pro illis facit, quod Const. Ap. *Conditae a Christo Ecclesiae* Leonis XIII¹ provide et sapienter pro Congregationibus votorum simplicium, quin turbaret lineas generales iuris tunc vigentis, fecerat. Etiam Congregations ante Const. *Conditae* theoretice erant et post illam remanserunt Congregations, absolute loquendo, saeculares, non regulares. Constitutione tamen *Conditae* ius proprium obtinuerunt, in quo peculiares ipsarum tractus et characteres agnoscebantur et subnotabantur, quin expresse eisdem abnegarentur notae communes, quas cum Associationibus saecularibus adhuc, quatenus regulares non erant, poterant retinere.

Pars dispositiva Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia*² satis brevis est atque sobria. Decem articulis principia fundamentalia vitae iuridicae Institutorum saecularium mira praeceptione continet; eorumque essentiali ordinationi nihil momentosum revera deficit. Sane, nomen, positio hierarchica, ius quo reguntur, elementa substantialia et discriminativa, normae ad erectionem et approbationem, interna regiminis organizatio atque relatio ad ecclesiasticas auctoritates, perlucide figuntur ac definiuntur.

¹ Const. *Conditae a Christo Ecclesiae*, 8 dec. 1900; cfr. *Leonis XIII Acta* vol. XX, pp. 317-327.

² Cfr. *AAS*, XXXIX, 1947, pp. 114-124.

I. Instituta vel Instituta saecularia. Terminologia in Constitutione recepta duplarem characterem Institutorum, nempe *genericum et specificum* clare subnotat. Habent in primis Instituta nomen proprium, characteri ipsorum specifico respondens. Hoc proprium nomen, Instituta, in genere Associationum saecularium quoad illa omnia distinguit, in quibus peculiare ius obtinent, quo ab aliis Associationibus separatur; quoad alia, in quibus cum ceteris Associationibus laicalibus conveniunt, evidenter sub earum communibus nominibus comprehenduntur.

Non absque matura, nec facili deliberatione, sed consulto nomine proprium *Institutum* seu etiam *Institutum saeculare* denique receptum fuit. Additio vocis *saecularis* hac mente facta appareat, ut usurpari posset semper ac necessaria seu utilis videretur, sive ad evitandam confusionem, sive signandum characterem saecularem horum Institutorum non religiosorum. Caeterum ratio huius duplicis denominationis ut notum est, in Codice nostro iam invenitur, qui ad indicandas Religiones votorum simplicium utitur propriis vocibus, tam verbo *Congregatio* quam formula *Congregatio religiosa*.

Si summis labiis rationes delibare velimus, quibus, ut videtur, legislator ductus fuit ad recipiendas voces *Institutum* vel *Institutum saeculare*, haec innuere possumus: verbum *Institutum* fuit *de facto* in usu ante Codicem, etiam in documentis officialibus ad designandas Congregationes votorum simplicium. In Codice autem verbum *Institutum* non fuit receptum qua technicum, nec pro Religionibus votorum simplicium, quae vocabulo designantur *Congregationes* vel *Congregationes religiosae* (c. 428, 2º), nec pro Societatibus vitae communis (c. 637). Manebat ergo post Codicem verbum *Institutum*, in sermone iuridico Associationes respicienti³, liberum seu vacans. Addatur huiusmodi vocem, sive in usu iuridico, qui Codicem praedit, sive in usu etiam vulgari continere aliquam non vagam allusionem ad formam organicam religiosam, vel aequiparatum, et rem magis consistentem magisque completam exprimere quam verba *Societas*, *Associatio* vel *Consociatio*.

Vox *saecularis* applicata clericis vel laicis non religiosis est terminologia Codicis⁴. Huismodi vox insuper valde conveniens videtur ad evitandas confusiones et ad characterem saecularem subnotandum horum Institutorum.

³ Dicimus *in campo iuris* (communis) pro Associationibus, quia Codex adhibet vocem *Institutum* cum adjuncto *ecclesiasticum* pro personis moralibus canonice non collegialibus, in tit. XXVI, lib. III (*De aliis Institutis eccl. non collegialibus*).

⁴ Cfr. cc. 110, 126, 131 § 3, 250 § 1, 297, 324, 358 § 2, 367 § 1, 457, 476 § 3, 491 § 2, 524 § 1, etc.

Quibus omnibus prae oculis habitis, iam intelligitur quomodo huiusmodi nomen (*Institutum saeculare*), quod post Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia* technicum in iure fit et Societatibus illud ferentibus tribuit certos ac determinatos effectus iuridicos, non potest assumi private, sed oportet ut imponatur ab auctoritate ecclesiastica. Hinc merito Instructio Sacrae Congregationis de Religiosis *Cum SS.mus*, diei 19 martii 1948, ad vitandas difficultates exortas ex abusu nominis Instituti saecularis haec prodenter statuit: « Ut aliqua Associatio, etsi perfectionis christiana professioni atque apostolatus exercitio in saeculo impense dedita, nomen et titulum Instituti Saecularis assumere iure meritoque valeat, non solum omnia atque singula elementa habere debet, quae, ad normam Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia*, ut necessaria et integralia Institutorum Saecularium recensentur ac definiuntur (Art. I et III), sed praeterea necesse prorsus est ut ab aliquo Episcopo, hac Sacra Congregatione prius consulta, approbata atque erecta sit (Art. V, § 2; Art. VI) »⁵. Neque sufficit, prout patet, ut omnia elementa requisita a Consil. Ap. *Provida Mater Ecclesia* de facto habeantur, sed oportet ut iuridice a Sancta Sede recognita sint.

II. Posito iuridica Institutorum Saecularium. Conceptus generalis indolis positivae et legislativae, prout resultat ex elementis in articulo Iº Constitutionis Apostolicae contentis, sic synthetice proponit:

a) Instituta saecularia iuridice sunt Societes, sive clericales, sive laicales sed formaliter saeculares, non religiosae, nec aequiparatae Societatibus religiosis (Religionibus).

b) Qua Societes saeculares *Instituta Saecularia* pertinent in cathegoriam Associationum saecularium (c. 684 seq.), sed in ambitu et in genere Associationum saecularium habent certam, definitam satisque amplam personalitatem, quam nomen et ius proprium requirunt, atque indoli necessitatibusque eorum specificis bene respondentem.

c) Omnes tractus characteristici Institutorum saecularium sunt valde affines illis Religionum et Societatum vitae communis; a quibus tamen distinguuntur propter characterem generalem, qui est saecularis quemque semper conservant.

d) Tractus characteristicus maximi momenti in Institutis saecularibus, ex quo alii derivantur et ad quem reducuntur, est sine dubio sequens:

⁵ Cfr. Instructio *Cum SS.mus* (*De Institutis saecularibus*), n. 1. (AAS, 1948 (XV), p. 298).

Dum scopus aliarum Associationum saecularium absolvitur in quibusdam tantum operibus caritatis et apostolatus (c. 685), quae non tantam mutationem in characterem fundamentalem vitae inferunt suorum membrorum, ut possint dici mutavisse vitæ statum; Instituta saecularia e contra exigunt a membris suis totalem vitae consecrationem ad acquirendam perfectionem per proxim obligatoriam consiliorum evangelicorum et plenam ditionem apostolati. Et quidem, ita ut sub veste saeculari Instituta de facto constituant in saeculo verum statum perfectionis, qui nec est nec vult dici status canonicus perfectionis, qui separat a saeculo (status religiosus), sed qui evidenter multum distat a puro statu saeculari, etiamsi hic esset sanctificatus piis operibus, et ab apostolatu Associationum typi partialis et normalis⁶.

III. Sequelae iuridicae conceptus generalis Institutorum. Sequelae iuridicae profluentes e charactere formaliter saeculari Institutorum enuntiantur et recolliguntur principaliter in articulo II Const. Ap. *Provida Mater Ecclesia*; quae autem connectuntur cum charactere substantialiter religioso, inveniuntur in art. III e sequentibus huismodi documenti;

B) Ius quo reguntur Instituta Saecularia. Art. II definit concrete ius, quo debent regi haec Instituta, continuando ea, quae exhibentur ultimis verbis art. I: « atque huius Constitutionis Apostolicae normis subiiciuntur ».

Haec definitio concreta incipit negative, excludendo applicationem normalem iuris vigentis Religionum et Societatum vitae communis (§ 1), cum Instituta Saecularia nec Religionibus, nec Societatibus aequiparatae sint (1º), admittendo tamen applicationem exceptionalem expressam quorundam praescriptorum iuris Religiosorum, et praesertim iuris Societatum vitae communis. Applicatio debet esse expressa et legitima, nam ius Religiosorum vel aequiparatum nec obligat, nec invocari potest sine interventu superiore. Applicabilitas illa per accommodationem fundatur in similitudine substantiali, quam prae se ferunt haec Instituta per respectum ad Religiones, maxime autem ad Societas vitae commu-

⁶ Omnia haec confirmationem accipiunt, ascetice et iuridice, in documentis quae post Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia* promulgata sunt. Cfr. Instr. *Cum SS.mus*, n. 10: « Instituta Saecularia a) ex statu plena perfectionis, quam profertur, et ex totali apostolati consecratione, quam imponunt, in hoc eodem genere perfectionis et apostolatus, ad maiora evidenter vocantur, quam ea quae fidelibus, optimis etiam, in Associationibus mere laicalibus aut in Actione Catholica aliisque piis operibus laborantibus sufficere viderentur »; non aliter sese exprimit R. Pontifex in Motu Proprio *Primo feliciter* (*De Institutorum saecularium laude atque confirmatione*), diei 12 martii 1948, n. VI (Cfr. AAS, 1948, XL, p. 283).

nis. Haec norma valet directe pro Sacra Congregatione, sed in casu applicationis valet qua criterium interpretationis obiectivum pro omnibus.

Definitio concreta iuris, quod applicatur Institutis, completur § 2 in forma positiva, enumerando cathegorias normarum, quae regualare debent Instituta, constituendo sic ius commune et proprium:

a) Consulto legislator asserit, prae omnibus, et quidem modo generali, Instituta saecularia esse subiecta normis canonicas communibus, quae ea spectant. Cum non habeant normas proprias, quae eorum naturae melius corresponderent, per se patet ea normis communibus subiici debere, sive tamquam personae morales collegiales (ex. gr. cc. 100, 101, 102, 105, 106 etc.), sive qua morales collegiales saeculare (« salvis communibus iuris canonici normis, quae ipsa respiciant »).

b) Qua ius proprium, correspondens magis naturae et conditionibus Institutorum saecularium, ponuntur tres cathegoriae subordinatae normarum:

1. Normae fundamentales et generales, in hac Constitutione Apostolica contentae, quae efformant statutum canonicum omnium Institutorum saecularium⁷.

2. Normae, quas Sacra Congregatio de Religiosis edet⁸, interpretando et complendo Constitutionem, sive pro omnibus Institutis, sive pro quadam cathegoria eorum. Visum est conviens praevide has normas complementares, quae necessario multiplicabuntur. Sic habetur basis legalis expressa per S. Congregationem, quae interpretationem, applicationem et complementum Constitutionis respicit;

3. Constitutiones pro omni Instituto. Opportunum est dicere Constitutiones in tanta Institutorum varietate formarum habere functionem adhuc magis amplam, et magis intensam, quam illa quam habent Constitutiones propriae pro Societatibus sine votis, quibus in tit. XVII.

B) Positio hierarchica Institutorum saecularium est perfecte autonoma: non sunt Religiones neque Societas vitae communis (Art. III).

a) Non sunt Religiones, quia non habent nec possunt habere vota publica, quae sunt essentialia ad naturam iuridicam Religionum (c. 488, 1º). Multi horum Institutorum habent vota, omnia tria vota communia, sed haec vota non sunt publica, id est recepta

⁷ Cfr. etiam Motu Proprio *Primo feliciter* prius citatum, in quo alia praescripta canonica generalia continentur.

⁸ Cfr. Instructio *Cum SS.mus*.

ab Ecclesia (c. 1308, § 1) et ab Ecclesia in Codice ordinata, nec possent esse huiusmodi, nam speciatim quoad votum paupertatis, praescripta quaedam canonica (e. gr. cc. 569, 580, 583) non possent adaptari quoad totum, nec ullum interesse existit adaptandi ea litteraliter his Institutis. Quae quidem canonica praescripta possunt merito substitui aliis magis elasticis, quae non minus ad sanctificationem conferunt. Ecclesia igitur non recipit vota Institutorum saecularium, prout non recipit vota Societatum vitae communis, quae in hoc convenienter cum Institutis saecularibus (c. 673, § 1). Ecclesia autem non ignorat, nec in foro externo, vota tum in Societatibus vitae communis, tum in Institutis saecularibus nuncupata. Vota haec, etiamsi non sunt publica in sensu specifico votorum publicorum (i. e. quae ab Ecclesia recipiuntur et ab Ipsi in iure publico interno magis solemniter ordinantur), non sunt tamen vota stricte privata, quae ad forum internum pertinent - ab Ecclesia in foro externo ignorata - eorumque curam habet S. Poenitentiaria. Possunt merito appellari vota *semipublica* vel *privata recognita* vel *socialia*: sunt enim vota, quae Ecclesia *recognoscit*; quae Constitutionibus regulat; quibus effectus in Instituto attribuit (v. gr.: pro regimine, pro dimissione, si non adimplentur etc.); quibus - potest dici - *adsistit*, prout evenit, analogia quadam, in matrimonio, etiamsi ea non recipiat.

b) Instituta saecularia non possunt esse sub iure communi, nec convenit illis ut sint Religiones vel Societas vitae communis, propter vitam communem. Etenim, Instituta huiusmodi non possunt habere vitam communem regularem et canonicam i. e. generalem pro omnibus membris et normis Codicis ordinatam, quin a sua specifica missione sanctitatis et apostolatus in saeculo deficerent: regulae clausurae, exitus, et omnes conditiones, quae ad hunc finem domus ad vitam communem destinatae habere debent, illis obstacle essent.

Vita canonica communitatis in iure Codicis, si non potest dici pro Religionibus ita essentialis et necessaria prout vota publica⁹, debet dici necessaria ad integratem, cum mille modis supponitur et imponitur a Codice¹⁰; et pro Societatibus vitae communis, vita canonica communitatis non solum est requisitum ad integratem necessarium, sed debet dici nota characteristic et distinctiva, a qua etiam nomen habent.

Heic juvat notare quod formula a legislatore adhibita in subiecta materia est ampla (« nec communem vitam, seu commora-

⁹ Cfr. LARRAONA, *Damm. pro Relig.* II, p. 137 sqq.; SCHAEFER, *De Religiosis*, n. 142.

¹⁰ Cf. cc. 504, § 1; 587, § 4; 606, §§ 1 et 2; 638; 639; 644; § 2, etc.

tionem sub eodem tecto omnibus suis membris, ad normam iuris imponant »), ita ut comprehendat omnia Instituta saecularia: 1) tum ea quae quasi absolute non habent vitam communem, salvo tamen art. III, § 4; 2) tum ea quae non habent vitam communem obligatoriam pro omnibus membris, ita ut quidam in communitate vivant, alii non, ad normam proprietarum Constitutionum et secundum dispositionem Superiorum; 3) tum demum illa, quae habent vitam communem pro omnibus membris, sed haec non est canonica, i. e. ordinata ad normam Codicis, sicut vita communis Religionum et Societatum vitae communis, sed ordinata ad normam proprietarum Constitutionum, et correspondens naturae saeculari et scopo Institutorum.

IV. *Elementa substantialia et discriminativa Institutorum Saecularium.* Fundamentalis prae omnibus est articulus III Constitutionis Apostolicae, ad hoc ut prorsus distinguantur Instituta saecularia vera, in quibus nimur solidus, authenticus et completus status perfectionis invenitur et de quibus S. C. de Religiosis curam habere debet, ab illis Institutis, quae etsi sancta et utilia, non possunt haberi ut talia ob defectum status perfectionis completi¹¹.

In articulo, quem examinamus, continetur in quatuor paragaphis, descriptio requisitorum exigendorum a S. Congregatione ad hoc ut ipsa concedat sic dictum *nihil obstat* pro erectione dioecesana Institutorum saecularium et pro elevatione in Institutum iuris pontifici. Articulus est sapienter et iuste severus. Associationes, quae non tangunt limites praescriptos a requisitis ibi enumeratis, debent manere in ambitu competentiae S. C. Concilii, et debent sequi ius commune Associationum laicalium.

In paragapho prima dicitur « praeter alia communia... » ad indicandum quod Instituta saecularia necesse est ut habent omnia requisita quae communia sunt omnibus personis moralibus collegialibus et ea quae sunt propria Associationum saecularium, et debent adhuc possidere requisita enumerata in §§ 2-4.

a) Prima series requisitorum - quae continentur in paragapho secunda - spectat elementa status completi perfectionis, scilicet consilia evangelica. Constitutio Apostolica loquitur de requisitis « quoad vitae consecrationem et christiana perfectionis professio-nem ». Consulto haec verba adhibentur, quia sapiunt antiquitatem et moderni in iis delectantur, has locutiones aliis, in quibus intrat verbum *religiosus*, praferendo.

1. Exigitur, ut fundamentum plenae consecrationis vitae perfectioni, professio *coelibatus*; quare horum Inst. membra non sunt

¹¹ Cfr. etiam Motu Proprio *Primo feliciter*, n. 7.

matrimonio iuncta; sed, ut clare indicetur ambitus externus et internus consilii evangelici castitatis, adiungitur « coelibatus et castitatis perfectae » (c. 1309). Haec professio castitatis perfectae debet esse obligatoria in conscientia et potest perfici, ad normam Constitutionum, ut votum, iuramentum, consecratio, dummodo ambitus eius et obligatio sint clara et bene definita. Merito non fit sermo de promissione castitatis, ut aliquid distinctum a voto, prout evenit in casu consilii evangelici oboedientiae et pauperatatis, quia nonnisi difficulter conciperetur promissio castitatis perfectae homini facta. Constitutio loquitur, e contra, ut vinculum ad firmandam obligationem castitatis, non tantum de voto et iuramento, sed etiam de consecratione, in quantum hodie verbum et idea consecrationis multum placent. Sic huiusmodi verbum admittitur dummodo in Constitutionibus sit clarus ambitus et vis obligationis ipsius. Igitur, ut in ordine sacro lex generalis Ecclesiae (c. 132, § 1), heic lex particularis Constitutionum determinat vim et ambitum huius consecrationis, per quam personae consecratae sese Deo mancipant.

2. Relate ad consilium evangelicum oboedientiae Constitutio Apostolica loquitur *de voto*, id est promissio Deo facto, et *de promissione* nempe Superioribus facta. Huiusmodi oboedientiae est creare vinculum stabile, per quod sodalis de facto sit - moraliter loquendo - in manibus Superiorum in dupli aspectu eius vitae, scilicet tum quoad aspectum ascetico-disciplinarem, tum quoad aspectum apostolatus.

3. Quoad consilium evangelicum paupertatis vel, aliis verbis, circa limitationem liberi usus, quae format materiam necessariam consilii paupertatis, Constitutio Apostolica remittit Constitutionibus, quibus ampla facultas conceditur.

In Congressu plenario diei 19 mensis maii anni 1949, praeside Em.mo Cardinali Sacrae Congregationis Praefecto, occasione quorundam dubiorum Sacrae Congregationi propositorum circa art. III Constitutionis Apostolicae *Provida Mater Ecclesia*, Ipsa Sacra Congregatio suam mentem authentice definivit circa obligationes, quas inducunt huiusmodi vincula. En textus declarationis, quae maximum momentum habet, tum pro discriminatione Institutorum, tum pro expolitione doctrinae circa ipsos:

« 1. Obligationes, quae a membris stricto sensu sumptis (Art. II, §§ 2 et 3) in Saecularibus Institutis ad statum iuridicum perfectionis completum amplectendum contrahuntur (Art. III, § 2) ut fini atque naturae Institutorum respondeant, leves ex genere suo atque ex omni parte esse non possunt.

2. E contra vincula, quibus hic perfectionis status innititur,

ita obligare in conscientia censemur, ut obligationes, quas inducunt, *ex genere suo* graves dicendae sint.

3. In casibus singulis obligatio gravis tunc tantum habenda est, quando ipsius materia, ad normam Constitutionum et circa paria vel similia vincula, communis doctrina certo certius gravis reputari debet. Et quia iuxta notam regulam iuris (Reg. 30 in VI^o) « *in obscuris minimum est sequendum* », gravis seu gravior obligatio - puta ex formali religionis virtute orta seu confirmata - in casu dubii affirmando non est.

4. Quaenam sit natura vinculorum, quae in singulis Institutiis assumuntur, et definitio rationis, qua ipsa obligant - an scilicet praeterquam ex iustitia atque ex fidelitate, etiam et quomodo ex religione teneant - eruendum est ex Constitutionibus, quae rem accurate describere debent, necnon ex formula consecrationis seu incorporationis, in qua ipsa exprimuntur.

5. Etiam quando certa sit formalis ex virtute religionis obligatio, cum agatur de votis seu vinculis, quae, etsi adaequate privata non sint, tamen ex regula nec sensu stricto atque specifico publica dici valeant nec publicam personae consecrationem inducant, ipsorum violationi sacrilegii malitia non est tribuenda ».

b) Secunda series requisitorum, de qua in paragrapho tertia, refertur ad incorporationem Sodalium Instituto et vinculum ex ipsa ortum.

1. Hodie Ecclesia, prout patet, *in nullo casu* recognoscit statum perfectionis iuridicum in vita individuali et isolata. Ad hunc statum iuridicum habendum requiritur *vita socialis*, mediane incorporatione in aliquam Societatem ab Ecclesia erectam et ordinatam ad hunc finem, scilicet ad professionem iuridicam status perfectionis. Huiusmodi professio perfectionis essentialiter coniungitur cum incorporatione superius nominata: illa est invalida, si haec non sit valida; quando haec cessat, illa disperditur. Sic hodie, post Codicem, non est religiosus eremita; item saecularizatio, per quain rumpitur incorporatio, secum fert dispensationem, vel melius votorum cessationem (c. 640, 2^o).

Incorporatio est vinculum stabile, mutuum ac plenum ad normam Codicis.

Haec criteria solida et profunda accomodata sunt etiam huic statui perfectionis in saeculo vel Institutis saecularibus. Ipsa pariter distinguunt, uti evidens est, Institututa saecularia ab Associationibus laicalibus. Vinculum, quod existit inter has et membra ipsarum, non est nec stabile, nec plenum, nec imponit responsabilitatem totalem.

2. Textus Constitutionis Apostolicae est legislativus et gene-

ralis; etenim nihil dicit de natura incorporationis, sed statim loquitur de vinculo, quod haec producit. Relinquit Constitutionibus determinationem vinculi, quod potest esse Institutum saeculare inter et eius membra *in sensu largo*, et disserit tantum de vinculo inter Institutum et membra *in sensu stricto*, quae vere incorporata sunt.

3. In particulari: 1º. Vinculum debet esse *stabile* ad normam can. 488, 1º. Porro non admittitur, tamquam basis alicuius perfectionis socialis, vinculum cum Deo et incorporatio vel vinculum cum Instituto pure et intentionaliter temporaneum, ex. gr.: ad duos annos, quibus peractis esset possibile vinculum rumpere. Vinculum potest esse temporaneum, dummodo renovatio non excludatur, immo dummodo haec intendatur (« elapso tempore renovanda »); 2º. Vinculum debet esse *mutuum ac plenum*, ita ut Institutum, ad normam Constitutionum, respondeat de sodali, qui sese ipsae dedicat et quidem in tali mensura in quali sese ei dedicavit.

c) Ad tertium denique quod attinet, nempe ad domos communes, en doctrina contenta in paragrapho quarta Constitutionis Apostolicae:

1) Instituta, ex regula generali et vi huius Constitutionis Apostolicae, non obligantur ad vitam in communitate ducendam pro omnibus membris; 2) Nihil obstat quominus secundum ius particulare et ad normam ipsius, omnes talem vitam ducant, vel aliquae cathegoriae tantum. A fortiori nihil impedit ut Superior imponat vitam in communitate ducendam pro singulis membris incorporatis, ex rationibus individualibus et personalibus socii, vel ex rationibus apostolatus vel utilitatis communis Instituti; 3) Factum, quod detur vita communis, etsi haec ad omnia membra extendatur, non mutat Institutum saeculare in Societatem vitae communis, quia non agitur de vita communi ad normam Codicis; 4) Suadetur, immo iubetur (« oportet ») ut habeantur domus communes, etiam si vita communis in genere obligatoria non sit; 5) Functiones horum domorum sunt tres, clare in numeris 1-3 enumeratae: « 1. Residere valeant qui Instituti regimen, supremum praecipue vel regionale, exercent; 2. Commorari vel ad quas convenire queant Sodales, ad institutionem accipiendam et comprehendam, ad exercitia spiritualia peragenda et alia huismodi; 3. Recipi possint Sodales, qui ob infirmam valetudinem, vel ob alia rerum adiuncta sibi providere non valeant, vel quibus non expediatur, ut apud se vel apud alias ipsi privatim remaneant ».

V. *Normae ad erectionem et approbationem*. Articulus V et VI de erectione Institutorum saecularium iuris diocesani loquuntur; articulus VII autem de elevatione Institutorum saecularium

in Instituta iuris pontificii tractat. Sic in forma practica legislativa definitur quod divisio Religionum (c. 488, 3º) et Societatum vitae communis (c. 673, § 2) applicanda est etiam Institutis saecularibus.

Articulus V duabus paragraphis componitur. In paragrapho prima ponitur pro Institutis saecularibus principium vigens pro Religionibus ad normam can. 492, § 1, et pro Societatibus vitae communis vi cc. 673, § 2, 674; Episcopi igitur est erigere Instituta saecularia, quae consequenter Instituta iuris diocesani deveniunt. In paragrapho secunda imponitur Episcopo erigenti Instituta saecularia illud *nihil obstat* quod Pius X per M. P. *Dei Providentis* (15 iulii 1906, n. 1¹²) imposuit pro erectione Congregationum, et quod hodie vi Codicis viget et pro Religionibus (c. 452, § 1) et pro Societatibus vitae communis (c. 674). De modo quo *nihil obstat* obtineri potest sermo est in art. VI.

Ad similitudinem Religionum et Societatum vitae communis, Institutum saeculare diocesanum iam *virtualiter* universale est; etenim, etsi submissum Episcopo, potest, ad normam iuris, sese diffundere in alias dioeceses cum potestate interna unica et sic *pluridiocesanum* fieri. Ad Institutum saeculare diocesanum doctrina Codicis applicatur (cc. 492, § 2, 493, 495, 498 etc.). Sub hoc aspectu pariter Instituta saecularia *iuris pontificii* Religionibus et Societatibus iuris pontificii aequiparantur. Igitur per hunc characterem pontificium, certe Instituta saecularia non fiunt exempta exemptione proprie dicta; subiiciuntur iurisdictioni Ordinariorum, ad normam iuris, non autem eorum potestati dominativae; in his omnibus, quae regimen et oeconomiam internam respiciunt, exempti sunt iuxta regulas c. 618.

Opportunum ducimus heic mentionem facere de effectibus iuridicis, quos praxis Sacrae Congregationis tribuit erectioni dioecesanae Institutorum:

1. Erectione rite perfecta omnes sodales consecrationem, quam prius peregerunt in Pia Associatione, eadem ratione, sive temporariam sive perpetuam, renovare debent. Tempus praecedentiae consecrationis in Instituto saeculari pariterque tempus probationis, ad omnes effectus canonicos, illud computandum, est, quod sodalis in Pia Associatione compleverit.

2. Domus seu centra ente erectionem Institutum fundata, si exvenia utriusque Episcopi ad normam can. 495, § 1 fuerunt constituta, ipso facto erectionis membra evadunt Instituti.

3. Bona temporalia, quae Institutum reapse ut propria possideat, formam iuridicam validam quamprimum induere debent.

¹² Cfr. *Pii X Acta*, vol. III, p. 141-143.

Speciali modo insistitur ne Episcopus acceda^t ad erectionem non verificatis conditionibus et requisitis in I et II art. enumera-
tis, sicut etiam illis a S. Congregatione per casum particularem
requisitis.

Ad decretum laudis et ad ulteriorem et definitivam approba-
tionem « illa generatim, congrua congruis S. Congregationis iu-
dicio referenda requiruntur, quae ex Normis (nn. 6 seqq.), stylo et
praxi eiusdem Congregationis pro approbationibus Congregatio-
num vel Societatum definita sunt vel definientur » (art. VII, § 2)¹³. In paragrapho prima huismodi art. VII ea continentur, quae applicacionem characteris *iuris pontificii* Institutis spectant. Citantur cc. 488, 3º et 673, § 3 et ita indicatur quod eadem est notio (char-
acteri *iuris pontificii*) pro Institutis sicut et pro Religionibus et Societatibus vitae communis. Iuris sunt pontificii Instituta quae obtinuerunt sic dictum *decretem laudis* vel *approbationem inchoati-
vam* et a fortiori talia sunt, quae *definitivam* obtinuerunt *approba-
tionem*. Paragraphus secunda determinat quid exigendum est
Instituto ut ad approbationem inchoativam (*decretem laudis*) vel definitivam accedere possit. In paragrapho tertia describitur mo-
odus, quo Sacra Congregatio in approbationem concedendam proce-
dere debet. Huiusmodi procedura, prout patebit ex infra dicendis,
facilior et expeditior redditur quam ea vigens pro Congregationi-
bus et Societatibus vitae communis.

Paragraphus tertia absolvit in nn. 1-3 quaestionem de proce-
dura:

1. Prima periodus in approbatione et pro Religionibus et pro Societatibus vitae communis et pro Institutis saecularibus aequalis est: causa praeparata ad normam paragraphi secundae uno Consultori mittitur, qui suum votum exarat et refert in Commissione Consultorum cui praeest, ad normam regularum vigentium, Se-
cretarius vel altero qui eius vices gerat.

2. Secunda periodus approbationis Institutorum reservatur *Congressui* sic dicto *pleno*. Praeside Em.mo Cardinali Praefecto partem in Congressu tenent Secretarius, Subsecretarius, Adiutores studii et aliquot Consultores, quorum numerus non determinatur (« prout necessitas vel utilitas suggerat »). Consultores, qui afferre debent Congressui adiumentum secundum propriam competentiam specificam, opportunum est, immo necessarium, ut sint distincti a Consultoribus qui in Commissione interfuerunt; Congressus est

¹³ *Normae*, quas Constitutio Apostolica commemorat, editae fuerunt a S. C. de Religiosis die 6 martii an. 1921, sub titulo: *Normae secundum quas S. C. de Religiosis in novis religiosis Congregationibus approbandis procedere solet*. Cfr. AAS, XIII (1921), 312 ss.

enim organismus gradus superioris iudicans quod operatum est a Commissione. En cur dicitur « peritis seu peritioribus consulto-
ribus ». Hic Congressus plenus in casu normali Plenariam substi-
tituit, quae intervenit in approbandis Congregationibus et Societa-
tibus vitae communis.

3. Tertia periodus approbationis est *confirmatio pontificia*. E.mus Card. Praefectus vel Ipse per se de hoc in Audientia referre potest, vel per Exc.mum Secretarium, ut moris est post Ple-
nariam.

VI. *Interna regiminis organizatio et relatio ad ecclesiasticas auctoritates*; Articulus VIII correspondet can. 500, § 1 (cfr. c. 675) et in particulari, quoad Instituta iuris dioecesani, canoni 492, § 2.

Ad rectam intelligentiam doctrinae in huiusmodi articulo contentae pree oculis habeantur cc. 500, § 1, 675, 492 § 2, et 618, qui fundamentales sunt in subiecta materia et criterium solidum nobis praebent.

Articulus IX Institutis applicat regimen et organizationem inter-
nam *Religionum* (tit. IX, cc. 492-498; tit. X, cc. 499-537) et *Societatum vitae communis* (tit. XVII, cc. 674-675). Etenim regi-
men et ordo internus Institutorum saecularium est regide hierar-
chicum, sicut in Religionibus et Societatibus vitae communis; est typi integralis, id est confert Superioribus omnem potestatem ne-
cessariam ad disponendum de vita et activitate consecrati; est char-
acteris non localis, nec dioecesani, nec territorialis, prout omnes Associationes laicales sine exceptione, sed personalis et sic catho-
lici et universalis. Uniones primariae, Archisodalitia, Archiconfra-
ternitates, Terti Ordines, omnes cathegoriae Associationum laicalium sunt characteris localis in seipsis, et coniunctiones, quas ha-
bent cum Associationibus aggregatis, sunt mere morales et spiri-
tuales, non iurisdictionales et potestatis. In iure canonico nondum agnoscantur regimina interna vere hierarchica et centralizata, nisi in illis Societatibus, quae plene disponere possunt de suis membris.

VII. *Irretroactivitas legis peculiaris Institutorum Saecula-
rium*. Constitutio Apostolica *Provida Mater Ecclesia* vim retroacti-
vam non habet. Art. X Constitutionis correspondet praeoccupationi iniuriam vitandi illis Institutis, quae hucusque approbata fuerunt a Sancta Sede vel ab Episcopo cum nihil obstat Sacrae Congrega-
tionis. Omnia autem Instituta sine inspectione Sanctae Sedis nata minime recognoscuntur. Debent venire et quidem necessarie, ut nihil obstat oblineant. Aliter sunt et remanent Associationes de facto vel Associationes de iure, sed laicales tantum.

SALVATOR CANALS
S. C. de Religiosis